

65

XENIVM  
 PEREGRINATORI NOVELLO  
 HIEROSOLTAMAM TENDENTI  
 IOHANNI HENRICO  
 NOBILISSIMI VIRI  
 IOHANNIS KRUGERI  
 SCABINI THORVNIENSIS  
 ET SCHOLARCHÆ  
 FILIOLO VNIGENÆ  
 SVB PASCHALIS QVINQVAGESIMÆ VIGILIIS M DC XCII  
 MANV  
 PAVLI PATRIS  
 IN TRANSCVRSV  
 IMPERTITVM



THORVNII  
 IN OFFICINA TYPOGRAPHICA IOH. BALTH. BRESLER  
 EXPRESSVM.



**D**um peregrinator illustris Hierosolymitanum iter aggreditur, ut mortem moriendo destruat, resurgendoque a mortuis vitam reparat, simul morti succumbit ac in vivis esse deinit **IOHANNES HENRICVS KRVGERVS**, magnæ spei adolescentulus, longiori vita dignissimus. Lugubre illud ac obscurum videbatur eis, quos ex discipulis elegerat duodecemviris: ut qui sacras pandectas non intellexerant, nec, quæ a servatore dicebantur, recte atque ordine animo comprehenderant. Triste hoc identidem prima specie videri posset genitori optimo, quæ virtutis præstantia, quæ publicæ privatiqve iuris scientia, atque exoticarum linguarum peritia, ita eminentissimo, ut admirabili sine consultatione temperamento, trans Rhenum, aut Alpium iuga natum educatumque, quotquot audiunt, iudicant, nunc, cheu! ob penetrantissimos, ex filii unigenæ conceptos dolores, prope exanimi. Nec inficias iverit, qui paterni amoris nexum facile noverit, ac præterea venturæ senectutis præsidium unicum, unicum hoc decus suum, curatius paulo contemplatus fuerit. Triste quoque carissimæ matri, in quam tot tamque præclara corporis animiqve ornamenta **DEVS** & natura congesse, ut Gratæ omnes, & tres illæ minime fabulose Charites: pietas nimirum, iuxta rei domesticæ curam, fidemque intemeratam, in pectore illius principatum vindicasse sibi videantur, quæ tota nunc mœrore diffusit, luctuque tabescit. Triste etiam & ingratum amicis & studiorum formatoribus, pulcellæ hunc pusionem rubicundum, delicias suas, & modestissimæ probitatis præclarum illud exemplar, in ipso adolescentiæ flore, dum sibi subsidia veræ sapientiæ ex literulis non inglorius parat, acuta vi morbi absumentum, frustraneis nimium votis reposcentibus. Sed hæc, & si quæ alia, intentioris ægrimonie argumenta, nimis curiosa infelicitas suggerit, amplissime vir, quæ ingenua tibi prudentiæ laude, & Christianæ pietatis robore, haut difficulter superabis. Lenire adhæc potest tristitiæ sensum commune periculum, quo urgemur. & quanquam turbatus ordo, mortalitatis tamen conditio fuit, quæ puerorum pariter senumque funera densantur, ita moderante summo rerum arbitro, in cuius manibus sortes nostræ sunt posite. Ingens hæc & postrema, nisi fallimur, medicina, quod in vera fide, & in sancta pueritiæ ætate, ex miseriarum hac valle, velut rosa Hierichuntina, in cœli hortum translocata sit, nullis ventorum temporumque iniuriis posthac obnoxia. Nolo alias solatorum formulas, cum vulgo tibi adhibere, nec hæc: mortalis genitus erat, variolis oppressus erat, novi enim ea ultro te nosse, suaque sponte animum subire. Acque utinam nova aliqua, aut singularia, in promptu forent, quæ audieris nunquam, nunquam legeris, tanto dolore paria. Postularent id ipsum tot merita, in nostram tenuitatem largiter collata, quibus insigniter me obstrictum sentio, testificaturus aliquando re ipsa, si nobile hoc cœli depositum cœtui discentium diutius interesse superis visum fuisset. Nunc, cum mœror parum commoda verba distiter, itineris Hierosolymitani memor, placet una tecum ad decantatos passim in geographia sacra Hierichuntis hortos, demortuorumque illic conditoria, de via parum descedere, locaque quietis, & spei, & gaudii, & amœnitatis, licet non utque ex voto amœnas, & si qui illis adhærere tituli & e-logia, quasi per transennam lustrare. Arcent quidem, quicunque im-

bellia


bellia pietatem metiuntur, ac foemineo plânctu, a filiorum cadaveribus parentes, acerba ex oculis funera surripiunt, sepalcra & epitaphia omnibus ostentant, præterquam cui ostendi præcipue oportebat. At mihi nunc res est cum v. ro, & Christiano, genitore, & sapiente, ad filii ossa, non ad questus & dolorum, impotentiam, in Hierichuntem Prusiæ, iure optimo, evocato. Age, ingrediamur iam hortum, ubi filium tuum condemus: ubi decus tuum, pariter ac nostrum, ad spem resurrectionis seponemus: resumturi, cum suprema iubebit bucina. Ecce istinc tabulam primam, quæ est propter caput eius, aspice titulos & epigrapham, quæ sic habet:

*Hæc!*  
*quisquis Hierosolymam tendis,*  
*VIA TOR,*  
*Hierichunta insalutatam,*  
*cave prætereas;*  
*sine xenio nunquam dimitteris,*  
**EN ROSAM HIERICHVNTINAMI**  
*quæ Saligniaco & Borchardo testibus,*  
*mirum natura miraculum est.*  
*In vigiliis DOMINI natalitii,*  
*arida licet & sicca,*  
*sine terra, crescit:*  
*sine radice, germinat:*  
*sine sole, se recludit:*  
*quinimo,*  
*in folia abit & fructus, sine ramis.*  
*O raram reginam florum palingenesiam!*  
*Quid angurabimur?*  
*de puerorum flore,*  
*semperque floris miraculo.*

**IOH. HENRICO KRVGERO,**

*Hic,*  
*ne vigiliis salutavimus,*  
*rosa deesset hyberna.*  
*ipse rosa factus est,*  
*nunquam florens pulchrius,*  
*quam ubi florere desit,*  
*omnemque floris spem abstulit.*  
*imo, quod mirabile dictu,*  
*marcescendo tantam pulcritudinem obtinet;*  
*ut florem candidiorem viderit nemo.*  
*Aurea, sub idem nunc fere tempus,*  
*alicubi consecratur rosa.*  
*Cum rosa hæc nostra,*  
**CHRISTI merito consecraretur,**  
*& Paradisi horto inferretur:*  
*profecto nec Salomon in omni gloria sua,*  
*sicut hæc rosa suis cooperatus.*

Anni-



*Amiles Arabia rosas. degenerare in tribulos.  
Chorographi perhibent.*

*Apage hanc hortulanorum incuriam!  
cæli horto maturius quod inferitur,  
aut tribulus nunquam fuit,  
aut ex tribulis facta est rosa.*

*DEVS hic plantat. DEVS rigat,  
DEVS dat incrementum.*

*Quorsum ergo illa lacrimæ, singultus, suspiria?  
an quod DEVS rosas vestras  
iugiter reddit vigentes?*

*an quod stemmatis vestri surculos  
meliori disponas ordine?*

*an quod contraria iuxta se ponas,  
ut magis elucescant?*

*Prospostero id sane foret consilio.  
Illucejct aliquando ver æternitatis,  
ubi iustitia sol.*

*ex cineribus, qui sub hoc casspite exaruerunt,  
divina palingenesia, novum germen producet,  
succum ex radice lesse trahens,  
æternas fundens delicias!*

*VIAIOR,*

*tumulo adsperge rosas:  
nam scibola nunquam adpersu carduos:  
simulque xenio tuo*

*hanc Pelasgorum adiunge epigrapham:*

*EMBAINE ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.*

**Socedamus paulisper, PATER OPTIME, in vicinum proxime facellum, unde ad tabularum alteram, quæ pedes nati defendit, armato oculo, perquam commodus datur prospectus: confedeamus hic, ut constantiam vocis placeamus, ne concitatum filio, cuius novissimi honoris ergo huc venimus, minus salutare nobis, non ex officio officium festinemus. En tubum melioris notæ, incipimus dextera constructum:**

*Hæc*

**BEATISSIMA ANIMAE**

*Quæ*

**CHRISTO SERVATORE,**

*ad mortem properante,*

*una mori iussa,*

**OPTIMO PARENTI,**

*semissem vitæ mortalis abstulisti:*

*oculorum lumine privasti*

*Heu quam dispari sorte Hieri hunc nostrum  
transiit DAVIDIDES!*

*dum ex IOANNE fecit BARTIMÆVM,*

*densissimas animo tenebras offundendo*

*Credo illum eodem compellabis nomine:*

*DOMINE, ut visum recipiam!*

*Nec dubita:*

*qui enim PHOSPHORVM hunc vera fide apprehendit,*

*idem cum BARTIMÆO*

*obtinebit COLLYRIVM,*

**VALE & SALVE!**